

§. 41. ff. de Injur. ut proinde Forma Torturæ consistat in interrogatione super veritate criminis ab ipso accusato commissi mediante corporis cruciatu.

(4.) *Finis* est indagatio veritatis non circa factum ipsum, quoniam de illius veritate constare debet: Sed an factum ab ipso accusato sit commissum. Quæ veritas si aliunde haberi queat, per testes scilicet, per gravissima indicia, probata tamen, per rei ipsius confessionem, cessare debet quæstio.

(5) Additur *Modus*: Nempe torturam adhibendam esse secundum Legis præscriptum, & non prout accusator eam adhiberi desiderat. Sic enim torqueri debet reus, ut corpus ejus vel innocentia, vel etiam supplicio, maneat salvum, l. 7. ff. de Quæst. Bocer. c. 1. num. 11. p. 13. de Quæst. Plura de hoc dicentur ad artic. 58. infra.

Quibus ita præmissis, videndum 1. *Quando tortura adhibenda sit*, cum nimirum veritas delicti ab inculpato commissi aliter haberi nequit; Est enim tortura remedium subsidiarium ad extorquendam veritatem per cruciatu corporis, quando ipsa aliter haberi non potest. 2. *Si præsumptiones & indicia prius probata fuerint, aut tanquam probata ex officio Judicis declarentur*: nam nisi Indicia probata fuerint, nec judex possit cognoscere, an illa sufficienter fuerint probata, tum ad torturam procedi nequit. Hinc 3. requiritur *Decretum* seu Sententia interlocutoria de torquendo reo, in qua Judex pronunciet, Indicia esse legitima & probata, adeoque ea sufficere ad torturam, imò quæstionem haberi posse de ipso reo. lib. 2. ff. de appell. recip. Quale decretum & hodie requiritur, licet in omnibus locis illud usu non sit receptum, sicuti nonnulli putant. Quod autem omitti talis Interlocutoria sententia non possit, certè non debeat, inde patet, quia est pars processus, quippe, in qua incidens punctus inter principium & finem causæ deciditur, An nimirum reus subjiciendus sit torturæ? Zanger. c. 4. num. 2. p. 852. de Quæst. Et quoniam tortura irreparabile gravamen continet, inde docent, ab ejus decreto, licet sit Interlocutorium, etiam contra juris civilis dispositionem, juxta quam ab Interlocutoria non datur appellatio per. l. 2. ff. de Appell. recipiend. ab eo appellari possit, quod multis tuetur Mantzius ad h. artic. num. 10. & seqq. pag. 186. 187. 188.

4. *Quod dies Accusatori præfigendus sit*. Ubi distinguunt Interpretes: Vel Accusator diem petiit, vel non? priore modo, dies est statuendus certus, isque accusatori intimandus, quando nimirum peragi debeat tortura?

Quod si verò Accusator nullam assignationem termini petat, vel

Judex